

# PHOSPHORESCENTIA MARIS

QUATUORDECIM

LUCESCENTIUM ANIMALCULORUM

NOVIS SPECIEBUS ILLUSTRATA

A

DOMINICO VIVIANI,

M. D. IN UNIVERSITATE IMPERIALI GENUENSIS HISTORIAE NATURALIS,  
ET BOTANICAE PUB. PROFESSORI

ACCREDIT

NOVI CUJSDAM GENERIS, E MOLLUSCORUM FAMILIA  
DESCRIPTIO ET ANATOMES.

*Cum Tabulis æneis quinque.*



GENUAE, 1805.

---

TYPIS JOANNIS GIOSSI



PHOSPHORESCENTIAE maris caussa veteribus a Philosophis neglecta, vel fabulæ velo recun-dita (1) nuperorum ingenia jamdiu perperam exercet. Hæc lucescendi vis, quam occultis aquarum viribus vulgus olim tribuerat (2), nonnullique ad Universi incognitas adhuc leges sublimiori ratione amandaverant, (3) ingeniosæ deinceps explicationi committebatur, marinas nempe aquas eam noctu lucem emittere, qua per diem, meridionalibus præsertim in plagis ardenti cælo imbuerentur (4). Nocturnas maris scintillas electrico fluido, cuncta fere apud Physicos in natura, vertente seculo XVIII. imperiosius regenti, subiectas legimus (5): mox electricitatis legibus haud sane conciliandum phenomenon, putrescentium marinorum animalium, piscium præsertim, particulis aquæ interspersis, ex eorum luce-scente dissolutione in aere libero ratione perperam deducta, contra Chemiæ leges, Ro- centiores adscipseré (6).

Inconspicuum fere Nereidis speciem (7) a Vianello detectam (8), per Adriaticas oras noctu luce micantem, vix alibi idoneis observationibus confirmatam, (9) neque latè

(1) Plin. Hist. lib. II. cap. XXVIII.

(2) Bacon. Organ. Scient. p. 180. edit. Leyd.

(3) Boyle: Sur l'Origine des Formes et des Qualités.

(4) Père Gui-Tachard Jésuite: Voyage à Siam.

(5) Dombey: Extrait d'une lettre datée de Lima à l'Abbé Rosier, Journ. de Phys. vol. 15.

Fougeroux Act. Acad. Paris 1767. p. 120.

(6) Le-Roy: Mém. de Savans Étrang. vol. III. p. 143.

Bory de S. Vincent: Voyage dans les quatre principales îles des mers d'Afrique, vol. I. p. 114 et 115.

Fougeroux I. e. p. 125.

(7) Nereis Noctiluca Lin. Syst. Nat. p. 1086.

Noctiluca marina: Adler Amor. Acad. vol. III. p. 202.

(8) Vianelli: Nuove Scoperte intorno le luci notturne dell'acqua marina. Venezia 1719.

Griselini: Observations sur la Scolopendre luisante. Venise 1750.

(9) Newland: Observations on the milky appearance of some spots of water in the Sea Phil. Trans. vol. LXII. p. 53.

Diequemar: Journal de Physique, vol. VI. p. 319.

Rigot Acad. des Sciences, 1768.

maria omnia incolere facile creditam (1), fictitiam veluti , aut saltem tanto effectui imparem , rejecerunt (2).

Phænomeni hujus longe spectatissimi , in mari etiam Ligustico frequenter obvii (3) caussam perquirens , quatuordecim alias animalculorum species incognitas adhuc inveni , singulas vivacissima luce splendidas ; eaque copiâ maria nostra incolentes , ut eorundem scintillationis phænomeno explicando sole sufficiant . Animalcula hæc propriis nunc descriptionibus illustrata , figurisque ad microscopium longè auctis (4) commissa , in Zoologorum gratiam proferam . Pauca interim de eorum indole generatim adiungam , ut variis marium lucescentium phænomena , vulgatis usque adeo opinionibus adversantia , in animalculorum splendentium caussam facile coire patescat .

1. Animalcula marina phosphorea , mole minutissima , oculo armato conspicienda , maria omnia inhabitant , (5) in plagiis verò meridionalibus majori copia multiplicantur (6) neque ullo temporis intervallo , frigori actione in iisdem lucendi vis compescitur .

2. Insectorum more , temperationi cœlo , statis quibusdam temporibus conspicua ; alia turmatim incedunt , maris tractus circumscriptis limitibus luce perfudentia ; quandoque èd adventantia ubi alias nunquam tantâ copiâ revisuntur (7) .

3. Horum nullum in aquis dulcibus adhuc repertum , licet proxime species utrumque hospitum adficitatem indicent (8) . Hisce aquis recepti citissime percunt ; solus Cyclops exiliens aliquot minutis vitam servat .

4. Alia aquarum molem velocissime traiiciunt (9) , nonnulla ex vermium familiâ (10)

(1) La Coudronnière : Observations sur la lumière de l'eau de la Mer : Journ. de Phys. vol. V. p. 451.

(2) Bory de S. Vincent I.e. « Il n'y a , au reste , aucune bonne observation microscopique , qui vienne à l'appui de l'opinion , que je viens d'exposer , et plusieurs Naturalistes aient que ce soient des animalcules , qui produisent les scintillations de l'eau salée » I.e. p. 113.

(3) Spallanzani : Lettera a Carlo Bonnet , Memor. delle Società italiana , vol. II. p. 2.  
——— Viaggi alle due Sicilie , vol. IV.

(4) Cler. J. Carolus Di-negro optimum mihi hisce observationibus instituendis , perficiendisque microscopium , ea qua pollet munificiâ concessit .

(5) In gelidis eisam Greenlandus maribus , licet omnino inexacte , phosphorescentia animalcula observavit Cler. Oth. Fabricius : Fauna Grænl. p. 291.

(6) Neptune orientale Ap. de Manneville.

La Coudronnière : Journal de Physique , vol. V. p. 451.

Godheus de Riville Mém. des Sav. étrang. Vol. III. p. 143.

(7) Hist. de l'Acad. des Sciences an. 1703. Lettre de Cadix.  
Diequemur : Journal de Physique , vol. VI. p. 319.

(8) Cyclops exiliens nob , et Cyclops minutus , Muller entom. p. 101 tab. XVII. fig. 1. 7.

(9) Gammarus omnes . Cyclops exilens omnium velocissimus .

(10) Nereides omnes , Lumbrici , Planaria .

per maris fundos repere coguntur, superiora verò petunt ubi aquæ remis percussæ, vel navibus trajectæ submoventur. Quandoque plurim animalium more, insueto splendore, imminentes denunciant procellas, iusque furentibus è propriis sedibus una cum aquis divulsa, ignivomos fluctus, omnia luce irrorantes reddunt.

5. Litora, portus, algosi maris recessus optimam his viventibus offerunt sedem, naturæ scrutatori obviam. Alge fere omnes, coralliarum cæspites, estate præsortim è maris fundo evulsi, manibusque in tenebris obtrectatæ, scintillas emittunt, numerosam quandoque horum animalculorum sobolem complexæ.

6. Lux pro corundem structura, diversa ratione in iisdem excitatur: o centro per radios vibratur in *Asteria*: concitatis oscillationibus reviviscit in *Canchtorum* gente; vivacissima a capite posteriora versus progrediendo serpit in vermisbus; uniformi luce micans *Planaria* corpus conspici: Omnia splendidissima *Nereis cirrigera*.

7. Omnia, dum vivunt, sponte lucem emittunt, suspenduntque, viæ viribus semper respondentem: mortua omnino deperdunt. Solius *Asterie Noctilucæ* radiorum rescissorum fragmenta, aliquandiu lucere pertinet!

8. Lucescentibus animalculis immixta, nonnullæ reperiuntur in mari species, quæ licet ob parvam corporis molem, et reliquam ejusdem compaginem, maxima adfinitate uniantur, nulla vero phosphorica facultate gaudent. (*Gammarus crassimanus nob.* *Gammarus Pulex*, *stagnalis*, *Locusta*: *Fabric.*)

9. Pisces, eaque marina animantia, quæ dum aere libero putrescant splendida evadunt, nullam, sub aquis salsis putrefactione consultò promota, lucem reddere, nullaque huic aquæ lueendi via communicare, propriis experimentis eductus compri.

Longe numerosiora animalculorum lucescentium agmina, omnia ex *infusorum*, ut appellant, familiâ, aquas maris replent, dum uniformi luce veluti imbutæ sponte clarescent. Hæc propriis descriptionibus, iconibusque ornata, in Zoologorum gratiam, et phenomeni hujus pleniorum explicationem, proferre haud differam.

### *ASTERIAS NOCTILUCA.* (Tab. I. Fig. 1, 2. \*)

*Asterias* (radiata), radiis teretibus, articulatis, articulationibus spinulis disticis armatis, disco urceolis quinque.

Reperi frequentissimam in mari adiacentia Genue litora alluente. *Allo scoglio di S. Andrea*; *Sotto S. Nazzaro*.

*Discus orbicularis* lineam 1 diametri, depressiusculus, superne albicans, scaber, cuius in centro oris ambitus, dentibus quinque munitus, glaberrimus, convexiusculus, tuberculo

\*) Prior numerus magnitudinem naturalem; alter microscope suetam exhibet.

interposito discreto, singulis in ginglylum articulatis, apice in disci centro conniventibus, bifidis? (*inferne*) lèvis, sulcis quinque a centro ad radios percurrentibus exaratus; ad basim radiorum utriculi cyathiformes, suborbicularis, è disco protuberantes, in sulci descripsi directione eadem siti. Radii 5, quorum singuli duo triploque totius disci diametrum longitudine superant, teretes, apicem versus attenuati, compositi articulis ex cylindrico compressis, emarginatis, inferne nudis, supernè spinulis disticis imbricatis, mobilis muniti.

Omnium minima; solaque inter congenres cognitas phosphorica. Urceolorum rudimenta in A. cordiferæ (Tab. 16) a Blochio exhibentur; cæterum figura diversa. Species hæc radiate instar stelle scintillas in marinis aquis excitasse, quas electrico fluido adscriperunt, admodum probabile est (1).

### CYCLOPS EXILIENS. (Tab. II. Fig. 1, 2.)

*Cyclops Rostratus*, oculis binis, caudâ in cylindros duo setâ longissimâ munitos finitâ.

*Corpus* ovatum, rubescens, postice attenuatum, segmentis 12. constans: capitum segmentum maximum,  $1/3$  totius corporis magnitudinem attingens, obtusè et oblique conicum. Oculi duo, ad antennarum basim, remotiusculi.

*Antennæ* brevissimæ, 4-5 articulatae, apicem versus setoso-ramulosæ. Rostrum incurvum, mobile, rigidulum, transparens.

*Pedes* quatuor, quorum duo anteriores, scilicet *remos* (cum Mullero) mavis dicere, ab antica capitii parte prorumpunt, biarticulati, articulo extremo, apice setularum inaequili cæpita munito. Alterum par, caput inter et segmentum subsequens situm; tertium scilicet posticum par segmento quarto, adnectitur; structurâ ab anterioribus non discrepantia, at duplo fere longiora.

*Pedes* branchiales sex, quinto segmento suppositi, articulo unico elongato formati, apice longè setigero.

*Segmentum* caudale duobus annulis compositum, posticè ciliatis, setâ longissimâ munitis.

Obs. I: Generationis organa perpetram in hac specie perquisivi. Antennarum annuli uniformes, fœmineum indicant sexum; at saccula etiam ovisera in congeneribus a Mullero, et Ræselio observata, desunt. Fortasse alio artificio functioni huic a natura in hac specie prospectum; è magis quod branchialium pedum structurâ, oculisque binis haud parum

(1) Quelquefois elle (la lumière de la mer) étoit à grandes rayons assez semblables aux étincelles produites par l'électricité. Fougeroux Acad. des Sciences. 1767, p. 121.

a Cyclopum gente recedit; non ideo tamen ab hoc genere divellendum putavi, quod totius corporis habitus genericam affinitatem sistat, et Cyclopis quoque associari posse *Pavonem marinum* (1) licet binoculatum, attentâ totius corporis structurâ, expertissimus Mullerus affirmet (2).

Obs. II : Coloris diversitati in eadem specie nunc intensè rubescens, nunc dilutè flavescentis èd magis attendendum est, quod flavescente in varietatem tantum phosphorica facultate donatam reperi.

### GAMMARUS (3) CAUDIS ETUS. (*Tab. I. Fig. 3, 4.*)

**GAMMARUS** Antennis (4) brevissimis, subaequalibus : annulo caudali medib setigerio.

Reperi cum praecedente in aquis Portus Genuae : *Sotto il Molo vecchio.*

*Corpus* oblongum, rubescens, decem segmentis compositum, capitî segmento obusè conico.

*Oculi* duo nigrescentes, turgidi, secus antennas siti.

*Antennæ* quatuor, quadruplè corpore breviores. In antennis superioribus, articuli duo primi elongati, medianam earundem longitudinem aequantes; ultra medium setaceae. *Inferiores* basi a superioribus ita tectae, ut nunquam earundem structuram perlustrare potuerim, ultra medium tamen et ipsae setaceae.

*Pedes* duodecim, 3 - 4 articulati ; in articulatione verticillato setigeri ; apice uncinulo recurvo armati.

*Laminae* natatoriae ovatae, margine setigerae, utrinque subtus secundum, et quintum segmentum erumpentes, in segmento octavo utrinque geminae.

*Cauda* segmentum supernè squamułosum, quadrilobum, emarginaturâ mediâ scutularum fasciculo valde mobilium munita.

*Color* pallide rubescens.

(1) Mémoires de Mathématique et Physique, vol. III.

(2) Muller Entomostreæ, p. 100.

(3) Ad Gammarorum Fabricianum genus species meas reduxi, quae Cancri Linneo, Onisci Pallasio essent, licet in tanta minutie instrumenta singula cibaria armato etiam oculo subtrahantur. At Antennarum numero et formâ species nostra a Gammarorum charactere generico non disensiunt; ito mutuam generis affinitatem memorare §. 8. species confirmant.

(4) Antennarum cum corporis longitudine comparatio optimos differentiam characteres exhibet; hinc Antennas dixi : *longissimas* cum corporis longitudinem duplo superant.

— — — *brevissimas* cum corporis medium longitudinem, non attingunt: Comparationem cum Antennarum pari longiore, sùb superiori, sùb inferiori sive, semper iustitui.

**GAMMARUS LONGICORNIS. (Tab. II. Fig. 3, 4.)**

*GAMMARUS* Antennis longissimis, capite attenuato; pedibus anticis inarticulatis, brevissimis.

Reperi in maris sinibus algosis prope Genuam. A S. Nagaro.

*Corpus* oblongum, 13 segmentis compositum, utrinque attenuatum, dorso emarginatum; capitis segmentum subcylindricum, incurvatum, apicem versus paulo angustius.

*Antennae* 4 longissimae, articulus primus in singulis extuberans brevissimus, duo subsequentes quadruplo longiores, tenues, reliqui brevissimi, setulis binis ad internodia muniti, articulis ita sensim diminutis, ut post tertium, antennae setaceae evadant.

*Oculi* inter antennarum superiorum, et inferiorum basim siti.

*Pedes* sex biarticulati, apice uncinati. *Pedes branchiales* inarticulati, apice longe setigeri. Capitis segmentum, et subsequens tribus utrinque muniuntur falsis pedibus brevissimis, unico cylindro formati, apice brevissimis setis ciliato; ad cibum captandum fortasse accommodatis.

*Cauda* laminulis ellipticis setulosis sex componitur, ex ultimo corporis segmento prodeuntibus.

*Color* dilutè flavescentia.

**GAMMARUS TRUNCATUS. (Tab. II. Fig. 5, 6.)**

*GAMMARUS* capitis segmento antice truncato, caudae recurvo, antennis superioribus duplo brevioribus.

Reperi cum praecedenti.

*Corpus* subcylindricum, posticè attenuatum, segmentis duodecim, caudalibus recurvis, caput antice truncatum, subtus coarctatum.

*Antennæ* quatuor: inferiores superioribus duplo longiores, corporis totius medianam longitudinem non excedunt: in utroque pari articuli primi paulo extuberantes, reliqui breviores, sensimque tenuiores, in articulationibus setigeri.

*Oculi* pone antennas inferiores siti.

*Tentacula* duo cylindrica, filiformia, inarticulata.

*Pedes* decem, triarticulati, brevi uncinulo muniti, hispidi: *Branchiales* sex, è tuberculo prodeuntis, cylindrici, apice setulariū lungo fasciculo muniti.

*Cauda appendices*, cylindruli quatuor recurvi, hispidi, penultimum inter, et anterius caudae segmentum inserti.

*Color* dilutissime flavescentia.

GAMMARUS CIRCINNATUS. (*Tab. II. Fig. 9, 10.*)

*GAMMARUS* subcylindricus, segmentis 2 - 6 ad latera utrinque in appendicem circularem excurrentibus, caudalibus reliqua subæquantibus.

Reperi cum præcedente.

*Corpus* subcylindricum, segmentis decem conflatum, tribus caudalibus latere inferiōti postico angulatis, reliqua fere magnitudine subæquantibus. *Capitis* segmentum cylindricum, antice rotundatum.

*Antennæ* superiores, corpore duplo breviores, ultra medium setaceæ. Articuli tres primi sensim minores, spinulis setulisque in articulatione armati. Par inferioris, superiori duplo brevius; post primum articulum elongatum antennæ setaceæ evadunt.

*Tentacula* duo triarticulata: articulo primo cylindrico, altero cordiformi, tertio ovato, uncinulo instructo. Segmenta 2, 3, 4, 5, 6 utrinque in appendicem rotundum excurrentia pellucidum, ovulorum glomerem tegentem (*Fig. a.*).

*Caudales appendices*; cylindrula duo recutra, quinque articulata, quibus duo tenuiora, inarticulata spinulosa, longitudine subæqualia, adiiciuntur.

*Pedes* decem, quorum duo anteriores, articulo primo cylindrico, duobus subsequentibus majoribus apice emarginatis, ultimo oblongo, uncinulo armato componuntur. *Pedes* reliqui triarticulati, longo uncinulo aucti: *Branchiales* sex, uno articulo formati: apice setigero.

*Color* ex flavescenti dilutissime rubescens.

GAMMARUS HETEROCLITUS. (*Tab. II. Fig. 11, 12.*)

*GAMMARUS* cylindricus, antennis brevissimis, apice penicillatis; pedibus trimorphis.

Reperi cum præcedentibus.

*Corpus* cylindricum, segmentis undecim conflatum; *capitis* segmento reliquis longiore, obtuse conico.

*Oculi* bini adproximati, parvi, in suprema, et extrema fere capitis parte siti.

*Antenna* quatuor, e capitis inferiori parte (!) erumpunt; *superiores* duplo longiores quadriarticulatæ, *inferiores* triarticulatæ, singulæ sensim tenuiores, apice seos quinque, unicâ triplo longiore, coronatis.

*Pedum* paria septem triformia. Anteriora caput inter, et subsequens segmentum inserta triarticulata: articulo primo quadruplo logiori, cylindrico, extus convexiusculo, subsequentibus ovatis, brevissimis, manibus didactylis: Paria duo subsequentia, segmentum inter secundum et tertium, tertium et quartum sita, biarticulata; articulis cylindricis

longè tenuioribus, uncinulo longissimo armatis : reliqua paria quatuor segmento 5.<sup>o</sup>, 7.<sup>o</sup>, 8.<sup>o</sup> et 9.<sup>o</sup> respondentia, duplo breviora, cylindrica triarticulata; articulis exterioribus sensim minoribus; apice penicillato setigeris : Pedes *branchiales* utrinque quatuor, singuli brevissimi, unico cylindrulo efformati, apice setis coronato, ultimo corporis segmento suppositi.

*Caudæ appendices* duo, postica extremitate utrinque erumpentes, segmento caudali vix longiores, antouniformes, quinque articulati, articulis ciliatis, apice scutulis quinque coronati.

Obs. : Antennarum formâ et insertione species hæc novum fortasse genus exposceret, quod habitus totius corporis a *Gammaris* diversissimus coadunaret. Hæc verò èd faciendum remitto, cum repetitis observationibus aliquâ novâ specie genus hoc ditescere valeam.

### GAMMARUS CRASSIMANUS. (Tab. II. Fig. 7, 8.)

*GAMMARUS ventricosus* : caudâ reflexâ; anterioris pedum paris tarsis incrassatis, chelâ granulatâ.

Reperi cum precedentibus.

*Corpus* oblongum, ventricosum, antice truncatum, in cauda attenuatum recurvum, segmentis 17 compositum.

*Capitum* segmentum subcylindricum, subtus veluti in rostrum breve coarctatum.

*Antennæ* quatuor, medianam totius corporis longitudinem paulò excedentes, setaceæ, articulo primo brevi ventricoso, subsequeute elongato tenui, reliquis sensim tenuioribus brevissimis. *Antennæ inferiores* duplo breviores, structurâ superioribus conformes.

*Oculi* inter utrumque antennarum par siti, latiusculi, nigri.

*Tentacula* quatuor, quorum antica duo biarticulata, articulo primo cylindrico, extimo falcato, ramulosè pilifero. *Inferiora* subtus caput prorumpentia filiformia, inarticulata, flexilia.

*Pedes* octo, duo anteriores crassiores, articulo primo cylindrico, duobus subsequentiis obcordatis, extimo sèl chelâ, obovato, turgido, granulifero : reliqui triarticulati, uncinulo armati.

*Pedes branchiales* sex, articulo unico elongato formati apice setigero, è tuberculo caudali prodeuntes.

*Appendices* caudales quatuor, cylindrici, recurvi, hispidi, inter duodecimum et tredecimum segmentum etumpentes.

Obs. : *Gammari* ignotam adhuc speciem, quamvis phosphoricâ facultate haud predictam, speciebus lucecentibus interserere placuit, no minutis omnibus animalculis maris nostra incolentibus, lucescendi facultatem impertitam esse facile credas.

## NEREIS CIRRHIGERA. (Tab. III. Fig. 1, 2.)

NEREIS depressiuscula, posticē attenuata, utrinque dupli tuberculorum serie munita; tuberculo superiori cirrhifero, inferiori bivalvi setifero.

Reperi in aquis Portus Genuæ, et in sinibus algosis S. Nazaro.

*Corpus* ex cylindrico depresso, posticē paulò attenuatum, fuscum, laxe, annulatum, annulis utrinque in tuberculata excentibus, retractile, munitum citro transparenti flexili, annulo attiguo paulò latiori. *Tubercula* huic cirrhifero aliud subiicitur paulò minus, quod pro variis verminis motibus in valvulas duos excinditur, setularumque breve fasciculum emitit, quo reperdo corporibus vermis adhæret.

*Capitis* annulum reliquis conforme 4-5 cirrhis munitum, anticē tentaculis duobus subcylindricis, parallelis, mobilissimis, capitis longitudinem subæquatibus, finitum.

*Oculi* duo nigri ad tentaculorum basim. In nonnullis individuis colore minus opaco infectis, tubus intestinalis per corpus longe protensum observatur.

Obs.: *Nereis noctiluca* Linnei phrasis omnino incongrua, quæ tota ejusdem tenuitati innititur. Ex ejusdem figuræ, a Griselino de ruptæ, inspectione, cum speciebus a me detectæ comparatione instituta, differentiam sic corrigendam esse censuerim.

*Nereis noctiluca* capite in rostrum veluti producto; tuberculis setigeris univalvibus, setis longitudine inaequalibus.

## NEREIS MUCRONATA. (Tab. III. Fig. 3, 4.)

NEREIS corpore depresso, tentaculis duobus crassis, margine granulosis, tuberculis inferioribus unimucronatis.

Reperi in aquis Portus Genuæ, subtus mœnia S. Lazzari.

*Corporis* structura uti in specie antecedente, duplo vero minor: *cirri* rigidiiores, brevioresque: *Tubercula* inferioria in valvulas nou dirimuntur, sed dum animal repit, alternatim retrahuntur, tuncque mucronem validum emittunt, quod altero latere ciliatum appareat. *Tentacula* incrassata, margine granulis transparentibus ornata, quos acris bullas suspicarer, nisi regulari nimis dispositione sita forent, constantemque etiam in diversis individuis serbarent formam.

## NEREIS RADIATA. (Tab. III. Fig. 5, 6.)

NEREIS corpore depresso, supericē setularum fasciculo pro singulo annulo utrinquè munito. Cirrhis capitis caudæque, reliquis duplo longioribus.

Reperi cum praecedente.

Magnitudo fere praecedentis, capitis conformatioe distinctissima, quod cirrhi quinque circumambium quorum duo anteriora, breviora, tentaculis supersunt, divergentia; haec posteriori parte subsequuntur utrinque duo, triplo fere longiora, basi brevissimo articulo secta, dein utrinque duo altera, longitudine subæqualia, anterioribus duplo fere breviora, omnia pellucida. *Tentacula* duo cylindrica, longiuscula. *Oculi* quatuor! interiore in utroque pari, minimo: Segmento cuilibet unicum tuberculum subiicitur trivalve; dum valvulae ad motum exequendum dirimuntur, cirrus brevissimus exserritur, posteriora semper respiciens, setularum fasciculo fultus. *Annulus caudalis* posticè cirrus duobus instructus. Setularum fasciculi longiusculi, e singulo corporis segmento, capite excepto, utrinque superne prorumpunt; setularum directio cum setulis tuberculorum coincidit, confusionemque in ritè structurâ hac determinanda, parit.

### LUMBRICUS HIRTICAUDA. (*Tab. III. Fig. 7, 8.*)

*Lumbricus* capite coarctato, oculis duobus instructo; posticè hispidulus; ano fiso, utrinque tuberculato.

Reperi cum praecedente.

*Corpus* cylindricum annulatum. *Capitis* segmentum reliquis triplo longius, anticè coarctatum. *Oculi* duo minimi. *Os* nudum circulare in anticâ corporis parte. *Subtus* parte postica ad  $\frac{2}{3}$  ejusdem longitudinis sulco exaratus, ad corporis extremum usque producto, ubi anus apertura, utrinque ad margines tuberculo mammillari instructa. *Setulae* rariuscula 7-10, patentes, rigidulae, in extremam corporis partem sparsæ.

### LUMBRICUS SIMPLICISSIMUS (*Tab. III. Fig. 9, 10.*)

*Lumbricus* cylindricus, glaberrimus, segmentis obsoletis, ore, anoque utrinque in extremo corpore audis.

*Corpus* cylindricum, retractile, nitide nigrum, segmentis inconspicuis, utrinque rotundatum, et foraminulo rotundo nudo circumrugoso utrinque pervio. In uno speciei hujus individuo, e posteriori foramine glomerem corpusculorum pellucidorum conspexi, cylindricum, ultra tertiam totius corporis longitudinem protensum, quem paulatim animal retraxit, neque unquam mihi conspicendum se praebuit. *Corpus* hoc Ovarium frisse ovulis suis tectum haud dabo, singularemque in hac specie organi hujus præstantissimæ structuram, in verium multiiformi familia haud satis perquisitum, ostendit.

## PLANARIA RETUSA. (Tab. III. Fig. 9, 10.)

PLANARIA: (oculis nullis), oblonga, albicans, margine undulato, posticé sinuato-retusa. Reperti in sinibus algosis maris Ligustici à S. Nazzaro.

*Corporis* figura ex ovato in oblongam mutatur, dum in ejusdem motu serpentino alternatim contrahitur, elongaturque; hinc ad margines undulata, et tota crista evadit. Anticé rotundata est. *Oris* aperturam in macula quadam pellucida exhiberi censeo, quam ad iżejusdem longitudinis supernę conspexi. *Postica* extremitas sinu obtuso excavatur. Totum corpus lincis obscuris exaratur, quæ utrinque, opposita directione, a corporis media longitudine, versus anteriora producuntur. Margo pellucidus. Substantia tenerima pulposa.

## BRANCHIURUS (1).

CHAR. GENÆ. Branchiæ supra caudam! Antennæ brevissimæ. Os mandibularis tectis munitum.

## BRANCHIURUS (2) QUADRIPIES.

*Coxæ* cylindricum, segmentis quindecim subuniformibus compositum, dilutissimè rubescens. *Capitis* segmentum apice subrotundum. *Oculi* duo parvi nigricantes, subjecti antenæ duobus brevissimis quadriarticulatis, nudis. *Os* in antica corporis extremitate nudum. *Mandibula* dux, uncinuli recurvi formæ, quas rapidissime animal oris aperturæ exserit retrahitque. *Pedes* quatuor, bini in antica, totidem in postica parte siti, brevissimi, cylindrici, inarticulati, ad apicis marginem setis ciliati, ita in motu exequendo retractiles, ut quandoque nulli appareant. Horum par *anterius* annulo secundo, *posteriorius* annulo extremitate subjectum; quorum subsidio vermis pedum paria alternatim exserendo, retrahendoque, motu rane natantis veluti exequitur, velocissimeque aquam tranjicit. Annulum posticum supernę apparatu branchiali instructum, composito e filamentorum fasciculis duobus pedunculatis, alternatim retractilibus, dum expanduntur sanguinis affluxu, et oxygenatione rubentibus.

(1) Vermis hujus singulari structuræ in admirationem abreptus Clar. statu nostræ Zoologa D. COVIER exactam ejusdem figuram per litteras communicavi. Cuius responsum, novo huius generi validam nomenclaturem conciliandi causa, opportunum hic referre reor: « Si votre ver n'est pas une Larve, il doit faire un genre nouveau; malheureusement il est si petit, qu'il vous sera bien difficile de prononcer. Néanmoins, pourtant, de voir s'il y a des sangs rouges et sur-tout si les panaches, qu'il y a sur la queue, sont de cette couleur, et s'il les contracte et dilate alternativement, alors il rentrera dans les vers articulés à sang rouge, dont les Névroïdes, les Aphrodites, les Téribelles, les Amphithrites, les Arenicoles, les Serpules et les Sabellæ sont autant de genres, et il en formeroit lui-même un caractérisé par les Branches sur la queue, tandis que tous les autres les ont près de la tête, quand ils n'en ont pas sur la longueur du corps. »

(2) *Branchiurus*, idest: *Branchium* supra caudam.

## SPIROGRAPHIS (1).

*Genus novum Vermium Molluscorum familia, inter Serpulam et Dentalium collocandum.*

*Char. gen. Ligula in spiram convoluta, retractilis, margine exteriore tentaculifera, inclusa collare carneo, anticé fissio.*

## SPIROGRAPHIS SPALLANZANII (Tab. IV.)

S. Tubo erecto, crusta tenui calcarea tecto, in basi flexuoso; vermis tuberculis lateribus unisetis; tentaculus extrossum ciliatis.

Penicillum marinum: Rondel: *Lib. de insectis, et zooph.* p. 111 (Tab. pessima).

Corallina Tubularia melitensis: Ellis *On Corallines* (Tab. XXXIV).

Tubularia Spallanzani: Gmelin: *Syst. nat.* p. 3835. Bosc *Hist. nat. des vers*, vol. III, p. 111.

Specie di Tubularia: Spallanzani: *Memorie della Società Italiana*: Vol. II, p. 2.

Amphitrite Penicillus: Bosc l. c. non verò Mulleri: *Von Würmern*, p. 8, n. 3., neque Gmel. l. c. p. 3110; ob proposidem clavatam nullam.

Nereis Lutaria: Pallas *Miscell. Zool.* (Tab. X.)

Sabella Penicillus: Linn. *Syst. nat.* p. 1269. Viviani *Journ. de Phys.* ann. 1803.

Reperi infrequenter in vadiis pacatoribus Portus Genuensis, et Ericini.

*Tubus cylindricus, longitudine paulò ultra 1/2 pedis, diametri 1/3, circa 1/3 pollicis, erectus, apice truncatus, pervius; basi flexuosa, radicata massa subcirculari rudi, quæ terra affigitur, a tubi voluta una vel una cum dimidio formata. Tubus externè cinerascens, tenui crusta calcarea obtectus, internè membrana indutus cartilaginea, quæ vermis corpus respicit levigatissima. In basi membrana interior duplex, altera tubi parietibus fixa, interior libera, quæ tubum veluti membranaceum, altero exceptum efficit.*

Animal, vermis (*Tab. V, Fig. 1*) cylindricus, nunc per totam tubi cavitatem protenditur, nunc ima tantum basi recipitur, segmentis annularibus, vermium more, totus coagmentatus, utrinque ad 1/3 ejusdem longitudinis in tuberculum exequatibus, quod seta valida (*Fig. 3*) reconditur, pro variis corporis motibus exserenda. Tuberculi inferiores plerumque inermes, tandem obsoleti: *Corpus extremitate posticâ subcompressum obtusum, anticâ abruptè truncata, productionibus carnosis tribus ita dispositis, ut extremum corpus (*Fig. 1 et 4*) collaris instar ambiant. Collaris hujus pars posterior (*Fig. 1*) biloba, duo laterales paulò breviores, angusta tantum fissura anticé distinctæ (*Fig. 4*) unde hiatus ad cibum captandum.*

(1) *Spirographis*, idest: *Penicillus in spiram effictus.*

In interiori collaris parte *ligula tentaculifera* assuitur, superiori parte libera, margine extimo (Fig. 2) in filamentis totidem parallele fissa, 2 -- 2 1/2 pollicis longis, tenuibus, rubescensibus, colorato - annulatis, exterioribus sensim longioribus. Filamenta haec varios pro vermis lubitu mutus agilissimè exsequuntur; nunc placidis aquæ motibus permissa in elegantissimum penicillum expanduntur disfluuntque (Tab. IV), nunc levi etiam attatu, vel aquarum subsultu, vel præde captandæ caussa, velocissimè retracta, iactu oculi tubi cavitatem subeunt disparentque. Horum particula microscopio subjacta (Tab. V, Fig. 5) tubum exhibit cartilagineum, totum in annulos sectum, altera parte duplice pilorum serie, per totam ejusdem longitudinem rugosum, qui pili maximo microscopii augmento perlustrati tubulum referunt (Fig. 6) minutissimos alios tubiculos ad angulum rectum emittem in flocculorum seriem aversa parte solutos. Hac tentaculorum structurâ, respirationis organa componi haud dubito, ut poterit aquam in sua elementa decomponere, et sanguinis cursum retardare valeant, quo oxigenauti fluido, soluta propè in immensum superficie, undeque permeantur.

Tentaculorum apparatus vascula duo (Fig. 7) subeunt humore intensè sanguineo repleta, quæ totam corporis longitudinem utrinque percurrent. Horum rami superiores è trunco radiatim erumpunt, ut nervorum morem in insectis imitari videantur, rami vero inferiores alternatim utrinque secedunt, adiecta viscera, tubum intestinalem præsertim minutissimis ramulis, in rete veluti fisis, rubente humore turgidis, irrorantes.

Vascula hæc tubum intestinalem (Fig. 7), per totam ejusdem longitudinem medium excipiunt; continuat primum ductus post oris aperturam paulò protensum, hinc in globes ita coactatum, ut interruptam sacculorum seriem ad anum usque efficere videatur. Ubi acidi nitrici actione vermis compages obstructa solidescat, membranæ totidem observantur (Fig. 8), sibi invicem per totam vermis longitudinem horizontaliter impositæ, quas intestinum permeat, singulisque post coactatum transitum, excipitur. Hinc nutritio in hac specie lentissimè peragitur. Ingurgita enim partum ab animali ore excreantur, reliqua magis subacta, et nutritioni aptiora, intestini sacculos inferiores subeunt, ubi nutritorio humore emuncta, per cloacæ aperturam posticâ vermis extremitate disfluunt. Superiori intestini parti organum quoddam adicitur, structurâ parenchimatosa, vesiculari, conflatum, fortasse, ad humores digestioni inservientes præparandos, accommodatum.

Humor flavescentis subtus vermis cutem transparet, quo viscera omnia undique irrorantur. Subtus cutem quoque lymphaticum vasculum transparens sepius conspici, quod totam vermis longitudinem subtus percurrit, in posticâ corporis parte præsertim nudo oculo conspicuum. Vasculi hujus fortasse rami erant tubuli quatuor (Fig. 7 in extremitate intestini), lymphatico umore repleti, qui in maximo speciei hujus individuo, a trunci communis residuo erumpentes, per 2/3 pollicis spatum protensi, posticam vermis extremitatem attingunt, ubi ultra oculorum aciem disperduntur.

Quidquid de vasculis hisce lymphaticis, mutuaque cum sanguifero, et nutritio systemate relatione conjectari licet, satis nunc sit diversae naturae vascula singula proprium humorem gerentia in specie hac demonstrasse. Hisce enim utriusque systematis existentia in verium familiâ adhuc dubia, observatione sancitur; quo compositionis structurae gradum hisce animalibus prae reliquis Mollusci naturam tribuisse patet.

Haec tantum de Vermis hujus structurâ investigare licuit; neque auctor perquisitio quidquam de ejusdem nervoso systemate, vel de generationis negotio detegere valuit, quod non minus exigua vermis moli, quam ejusdem infrequentia tribuendum velim.

Restat nunc ut speciei hujus varias denominationes, collatis Auctorum synonimis, criticae disquisitioni subjiciamus; ex hac enim patebit diversis nominibus, diversa sibi Zoologos effinxisse animantia, in rerum natura haud reperiunda. Quibus chimaeris haud quidem *Systema naturae* redundaret si paulò ultra corticem animalis haec domincola juxta Clar. Virorum, Cuvierii praesertim, Pallasii, Poli morem, anatomicè rimaremur.

Ellisi tabula XXXIV ejusdem operis: *On corallines*, nostram sane Spirographim exhibet, licet tentaculorum originem, reliquamque oris compagem nullimodè referat. Eamdem fortasse speciem Rondletius, si quid ex pessimis hujus auctoris figuris certè determinari potest, *Penicilli marini* nomine in Libro suo de *Insectis et Zoophytis*, p. 111, jamdiu descriperat. Horum Scriptorum auctoritate fretus illustr. Linnaeus in suo *Systemate naturae*, edit. XII. *Sabellae Penicilli* nomine, eamdem recepit, ed sane deceptus, quod vermis hujus domicilio tubulari nimis indulgens, cum Testaceorum gente vermem è Molluscorum familiâ aggregaverit. Haec interin Linnaeauam speciem, *Mediterrani* incolam, Ellisi synonimo satis firmatam, cum alia longe diversa, in maribus septentrionalibus hospitante, confuderunt optimi caeteroquinia Zoologi, Mullerus in sua *Zoologia danica* n. 3063, et Otho Fabricius *Fauna granlandica*, p. 438. Haec verò species differt a Linnaeana:

- 1.<sup>o</sup> Mole longe minor;
- 2.<sup>o</sup> Setis tuberculorum lateralium binis, non solitariis ut in nostra;
- 3.<sup>o</sup> Prominentia abdominali in nostra haud conspicua;
- 4.<sup>o</sup> Ano, scilicet ductu intestinali in caudam veluti protenso.

Illud etiam adnotare praestat, quod cum hi duo clar. Auctores in *Tubulariem Penicillum*, nomen *Sabellae Penicilli* Linnaei commutandum censuerint, cumque *Tubulariae Penicilli* nomine, Zoophyt species a Pallasio in suo *Zoophytorum Eleacho*, p. 87, descripta prostet, eodemque nomine in *Systemate naturae* recensetur, hinc sub eadem *Tubulariae Penicilli* denominatione, tria animalia confundi patet, quae non specie tantum quam genere, imo etiam familia differunt.

Alio iterum nomine Spirographis nostra prodiit in Pallasii *Miscellaneis*, ubi singularis veluti vermis species *Nereidis Lutariae* nomine inscribitur, et ejusdem operis tabula X. in phiala vitrea spiritus vini actione contracta, deformataque exhibetur: Hinc mirum non est exactam ejusdem figuram, descriptionem, anatomem, more suo, celeberrimum Zoologum instituere haud potuisse. Nonnulla de vermis hujusce moribus Clar. Spallanzanii eleganter adigit, et per litteras Car. Bonnet communicavit (1) dum eundem in eo ipso Portu Ericino, ubi paucis post annis nos etiam invenimus, observabat; cum vero, Tubulariae nomine, vermis speciem hanc salutaverit, suspicari licet via quidquam ultra tubum, summo cæteroquin naturæ Scrutatori innotuisse. At tanta fuit Viri auctoritas, ut vermis hic, Tubulariae nomine, nova veluti Zoophyti species a Gmelino (2), et Boschio (3) in Spallanzanii fidem recenseatur; licet idem Clar. Bosch eamdem certe speciem, Amphitrites Penicilli nomine, in sua *Vermium historia*, vol. I., p. 111, jam descripsisset.

Gmelinus vero, cui in sua *Natura Systematis* editione tanta confusione prospicere intererat, longe majori ansam praebuit. Nam *Sabellam Penicillum* Linn. eliminavit, Synonimon *Ellisii*, speciei longe diversæ, *Amphitriti Ventilabro* Mulleri adjectit, vermem vero a Spallanzanio descriptum, inter Zoophytos, *Tubularia Spallanzani* nomine, collocavit.

Ex dictis colligere est:

- 1.<sup>o</sup> *Sabellam Penicillum Linnæi*, *Amphitritem Penicillum Boschi*, *Tubulariam Spallanzanii* ejusdem Auctoris, et *Gmelini*, *Nerein Lutariam Pallasii*, *Corallinam Tubulariam Melitensem Ellisii*, nomine quidem differre, at unum idemque exhibere animal.
- 2.<sup>o</sup> *Tubulariam Penicillum Fabr.*, seu *Amphitritem Ventilabrum* ejusdem auctoris, species esse distinctissimas a *Tubularia Penicillo Linnæi*, utrasque vero specie, genere, immo etiam familiâ diversas a *Sabella Penicillo* ejusdem auctoris.
- 3.<sup>o</sup> *Tubulariae* genus iidem speciebus expurgandum esse, quæ tubo tantum cum *Tubulariis* convenient, incolâ vero omnino discrepant, uti *Spirographis* nostra, *Tubularia Fabricii*, etc.
- 4.<sup>o</sup> Speciem a nobis *Spirographis* nomine descriptam, in novum genus constituendam esse, quod descriptis characteribus, neque cum *Sabellis*, neque cum reliquis vermium generibus ulla affinitate jungatur.




(1) Memorie della Società italiana, vol. II, Lettera a Carlo Bonnet, p. 3.

(2) Syst. naturæ.

(3) Histoire naturelle des Vers, vol. III, p. 87.




TAB. I.



f = .8




T A B. II.



Danau Del se




TAB III



*Vermiculus eunc*




TAB. IV.





TAB. V.



D'Orbigny del'd

Digitized by Google